

2. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

APHTHIS,

QUAM

AUXILIANTE DEO T. O. MAXIMO

ET

GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ
IN REGIA VIADRINA CONSENSU

SUB PRÆSIDIO

DN. JOH. GEORG. a BERGEN,

MEDICINÆ DOCTORIS ET PROFESSORIS
PUBL. ORDIN.

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMOS IN MEDICINA HONORES INSIGNIA
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE
IMPETRANDI,

AD DIEM XI. JUL. A. MDCCXXXIII.

IN AUDITORIO MAJORI

publice ventilandam proponit


AUCTOR & RESPONDENS

DAVID LEBRECHT HORST,

Bernburgo-Anhaltinus.

FRANCOFURTI ad VIADRUM,
Literis TOBIÆ SCHWARTZII, Acad. Reg. Typ.






Prooemium.



Febrim impura & ad morbos prona
corpora purgare, vel ipsum febris
etymon Medicos docet, quin com-
munis recentiorum fert sententia,
& res desuper confirmatae adeo ex-
perientiae est, ut constet verissime, multas impu-
ritates sanguini & fluidorum statui inimicas, à lon-
go tempore coacervatas, partes tandem solidas in-
signiter stimulant, febrim excitata, per criticas
excretiones varias, vel sub forma exanthematum,
vel sudorum, vel urinae, vel vomitus, vel diarrhoeae,
ut & ptyalismis, sputi cruenti, vel purulenti, ex il-
lorum gremio excludi, eliminari, sicque pristinam
corpus humanum recuperare sanitatem. Neque ta-
men minus experientiae etiam congruit in febrim
quibusdam salutare tales excretiones subinde
prorsus non suscipi, sed desuper totam sanguinis &
humorum molem notabiliter motuum febrilium
vehementia alterari & plane corrumpi. In cu-
jus rei fidem non frustra provocho ad febres ma-
lignas

lignas, ardentes & continuas quasvis, in quibus, & his quidem, sanguis sepius polyposè in vasis concretus, vel in serum conversus repertus, in illis serum ad gelatinosum lentorem redactum deprehensum est, in istis ipsam hanc depravationem ad lymphaticos usque in glandulis secretos latices sese extendisse jam satis constat, adeo, ut jam dudum non sine ratione ingeniosissimus. Alph. Borellus submonuerit, febricitantium urinæ contenta non semper specialis sanguinis corruptulæ, cui tanquam origini & causæ effectrici febristribucenda sit, notas afferre, cum fieri possit, ut urina ab ipso motu febrili illam demum mutationem subeat. Vid. Ejusd. Tract. de Mot. Animal. Cap. XXII. Prop. CCII. Quæ omnia uti exemplo aphtharum clarius à me demonstrari posse credidi, ita speciminis Inauguralis loco aphtharum theoriam & therapiam brevi dissertationem pertractandam sumpsi. Cui instituto ut Deus T. O. M. ex alto clementer benedicat, ac in proximi commodum & salutem vergere jubeat, est quod humillimis precibus rogo.



Q. D. B. V.

Thef. I.



eram aphtharum originem & naturam rite descripturus, ab etymologia vocis, ut auspicer, instituti mei ratio exigere merito videtur. ἄφθα, ergo vox græca est, cujus significationi propriæ, quod respondeat, apud latinos singulare nomen non occurrit. Unde ab his vox retenta in plurali numero, tanquam latina, communiter usurpatur, quia malum gregatim ægros invadit. Latini equidem Scriptores per lactumina, vel lactucimina, aphthas passim expriment. Sed vocabula hæc potius achoribus & crustæ lacteæ competere, jam pridem Jac. Pancrat. Bruno in Lexic. Med. suo docuit. Aliis τῆ ἄφθα affine videtur verbum ἄφθαίω, signifi-

A

cans

cans' apud Paul. Æginetam, ulcusculo oris laboro, quodque promiscue de aliarum etiam partium exulcerationibus acceptum legitur apud *Hippoc. Libr. II. de morbis* §. 48. Alii aphtharum etymologiam deducunt ab ἀπθῆσαι, incendi, quasi à partium incensione provenirent, quas tamen diversas derivandi rationes Etymologorum ulteriori disquisitioni merito relinquo. Mihi heic sufficiat, per aphthas hodie faucium & oris tam externi, quam interni affectum mox clarius definiendum indigitari, ac pro tali à plerisque Medicorum accipi. Germanis vocantur die Mund-Säule/ die Schwentgen/ plebejis die Schwämmchen.

Thef. II.

Definitio autem aphthas, quod sint escharæ, sive crustæ, eminentes, parvæ, leviusculæ, subrotundæ, albicantes, interdum flavescentes vel rubræ, interdum lividæ vel plane subnigræ, oris palati & faucium internam superficiem obsidentes, quas quidem antiquitus *Corn. Celsus* ulcera oris serpentia, & post illum nonnulli recentiorum, ut *Franc. Joël. Prax. Med. Libr. IX. Sect. III. p. m. 506.* item *Carol. Musitanus. Trutin.*

Trutin. Chirurg. Physic. Lib. II. Cap. XXXIV. p. m. 154. passimq; plures ulcuscula vel pustulas pronunciarunt, quorum tamen sententiam carpit, atque apertæ falsitatis *Joh. Doctus* arguit, inquiens *aphthæ, quæ vulgo, sed perperam, ulcuscula judicantur, escharæ quædam sunt. Vid. ejusdem Encyclopæd. Med. Libr. V. Cap. VI. p. 567.* Quam Dolæi sententiam nec à vero prorsus alienam esse, multis non tantum hodie persuasissimum est, sed cuivis fere, & quidem ex sequentibus, manifestum erit. (1.) Quod aphthæ, pustulæ aliis dictæ, in nonnullis brevi decidunt, & brevi renascuntur. (2.) Quod, teste experientia, aphthæ solo gargarismate totæ sepiissime abluuntur, subjectâ oris superficie integra, plane illæsa, nec exulcerata. (3.) Quod aphthas imminentes nulla præcedere solet suppuratio, sine qua ulcera vix concipi queunt. (4.) Quod in aphthis verum pus, quod ex sanguine generari dicitur, nunquam reperitur. (5.) Quod cicatrices in ore post aphthas curatas à nemine observantur. (6.) Quod aphthæ, copia & numero mire accumulata, formam granulorum, arcte sibi accumbentium, ex æste referunt, id quod nunquam fieret,

fieret, siquidem ulcusculorum materia purulenta, homogœna aphthas constitueret. Et licet in nonnullis serpentes statim, & confluentes quasi aphthæ, diversæ videantur, imas fauces occupantes, crustam albam densam, splendens instar lardi referentes, tenacissime faucibus adhærentes, progenie & indole nihilominus ab illis nullatenus differunt, licet hæ plerumque sint pessimæ & in plurimis lethales plane. Interea nemini propterea litem moturus penitus inficias ire nolo, aphthas, inprimis contumaces, diuturnas, mali moris, in ulcera subinde degenerare posse, aphtharum peculiaria producta, limites earundem transcendentia, neque in omnibus cum aphthis concurrentia; Sicuti enim sub escharis in capitis achore non raro subiecta cutis exulceratur, ita interdum accidit, ut sub crustis aphtharum densioribus ulcuscula, in aliis etiam latius serpentina, generentur, qualia à pluribus in praxi clinica etiam descripta legas, prouti ab ulcerosa tali lue in infantibus lactentibus, aphthisque laborantibus, tam nutricum papillas, quam vicina cutis & uberum loca, non sine tædio graviq; molestia quandoq; infici perhi-

perhibet. *Joh. Nic. Pechlini Obs. Physic. Medic. Obs. LXXI. p. m. 188.* Quid autem propriæ prædictæ crustæ sint? paulo inferius sub causarum descriptione clarius elucescet.

Thef. III.

Familiares aphthæ sunt infantibus tenerioribus, molliori corporis habitu præditis, potissimum lactentibus, unde Hippocrates Pathologiam morborum infantilium traditurus inter illos aphthas quoque commemorat. Vid. *Aph. Hipp. Sect. III. Aphor. 24.* Hincque infantem trium circiter septimanarum aphthis affectum *Tim. à Gùldenkle Cas. Med. Libr. V. Cas. IX. p. m. 147. adducit*: Imo è centum infantibus vix unum reperiri, qui pustulis istiusmodi non molestetur, refert *Frid. Lossius Concil. Med. Conc. L. I. p. m. 215.* Neque tamen minus frequenter aphthas etiam in ab lactatis infantibus, itemque pueris ætate longe provectioribus passim observes, cujus rei exempla citata legas plurima, & quidem in filio quatuor annorum apud *Laz. Riverium Obs. Med. Cent. I. Obs. XLIII. p. m. 503.* Item *Theoph. Bonettum Medic. septentrion. Lib. II. Sect. VI. Cap. I. p. m. 377.* In filiola quatuor annorum teste *Theod. Zwingero in*

Pædoiatr. Pract. Obs. LIV. p. m. 217. 218.
 In puero duodecim annorum referente *Joh. Nic. Pechlino Obs. Phys. Med. l. c.* Quin adu-
 tos promiscue homines, tam in consisten-
 te, quam in senili ætate constitutos, aph-
 thas invasisse allegati modo Scriptores a-
 bunde testantur, aphthas contumacissimas
 in muliere recensente *Laz. Riverio Obs. Med. Cent. III. Obs. 35.* In Medico sexaginario,
 vetula septuagenaria & Nobili quinquaginta annorum *Joh. Nic. Pechlino l. c.*

Thef. IV.

Ingens porro & notabilis aphtharum
 differentia nunc mihi consideranda venit,
 quandoquidem ratione ætatis aliæ dividun-
 tur in aphthas infantum, & aphthas adul-
 torum; aliæ ratione originis in idiopathi-
 cas, infantibus familiares, & symptomaticas,
 febribus adultorum succedentes, quas
 postremas puerorum aphthis plane contra
 distingvit, nec pro veris aphthis, sed præ-
 eunte Galeno, simpliciter pro oris ulceribus
 habet *Joh. Hisk. Cardilucius in Offic. Sanitatis Cap. LXVI. p. m. 252.* Aliæ ratione indolis
 dividuntur in benignas vel malignas, mor-
 bos malignos & pestilenciales comitantes a
Laz.

Laz. Riverio Prax. Med. Libr. XVII. Sect. III. cap. I. descriptas. Aliæ cum febre conjunctim, aliæ sine febre prodeunt. Aliæ febres potissimum acutas, inflammatorias, arden-tes, malignas & intermittentes, interdum etiam benignas, consequuntur, quales & quidem binæ posteriores recensitæ extant apud *Joh. Dolæum Encyclop. Med. Lib. VI. Cap. VI. p. m. 568.* it. *Theod. Zvingerum Pædojatr. Pract. l.m. c.* Aliæ morbis exanthematicis, variolis, morbillis, superveniunt, ac iisdem interdum coronidem imponunt, referente *Joh. Lud. Hannemann*o, in *Theoph. Bonett. Med. Septentr. Libr. II. Sect. VI. cap. V. p. m. 337.* Aliæ plus minus putredinosæ & ulcerosæ sunt, pro majori corruptionis & acridinis gradu, materiæ scilicet aphthas proxime producentis. Aliæ in febribus criticæ, aliæ symptomaticæ indolis deprehenduntur, prioribus ipsum morbum levantibus, posterioribus autem morbum exasperantibus, atque cum eo in statum longe pejorem, sæpeque lethalem, vergentibus. Aliæ denique morbis chronicis succedunt, ut scorbuto, luis venereæ, maxime sub ipsa salivatione mercuriali, vero & unico luis remedio. *Vid. Joh. Franc. Leon. ab Erlsfeld*
Interpre

Interpret. Aph. Hippac. Libr. III. Sect. III. Aph. 24. p. m. 410. Quas differentes inter se aphtharum species in praxi clinica probe attendisse non parum, sed plurimum, refert.

Thef. V.

Præterea aphthæ mire variant, pro morbi ipsius principio, incremento & statu. In generationis primordiis aphthæ non tam visu, quam tactu, primum cognoscuntur, & quidem sub forma asperiorum tuberculorum, ex quibus tandem crustulæ, aliis pustulæ dictæ, generantur, quales potissimum à principio interno oriuntur, dum quæ à causis externis proveniunt, statim in tenues pustulas vel potius vesiculas attolluntur, cum intenso pruritu, calore & dolore. Perfectæ autem, ac ad statum perductæ paulatim in densiores escharas & crustas abeunt diversorum colorum, sub quibus plus minusve acris, salinæ ac serosæ colluviei, qualis sub cuticula in recens ambustis effluit, nihil autem purulentæ materiæ, colligitur.

Thef. VI.

Neque modus, quo prodeunt aphthæ, in omnibus idem semper est, sed differt valde, ac pro varia subjectorum ætate, diversa
corpo-

corporum constitutione, maxime scorbutica, vel quavis alia cacochymica concurrente, diversis phænomenis apthæ progerminant atque efflorescunt: Etenim in lactentibus primum sese exerunt cum insolita plerumque inquietudine, molestis vigiliis, saliva spissescente, suctione debili & interrupta, difficultate deglutiendi, levi linguæ intumescencia, partium oris interiorum insveto calore, nutricibus etiam sub ipsa suctione satis sensibili, quibus de causis linguam infantes ægre extra os exporrigunt, nec more consveto fungunt. In pueris aliquot annorum, quorum constitutio à molliori corporis statu jam nonnihil recedit, ardor, calor & dolor intensiores, major salivalis laticis depravatio, & consequenter prædicta acerbiora & plerumque cum febricula stipata adsunt incommoda. In adultioribus quibus potissimum cum febre intensa & continua, itemque majori vitio salivæ apthæ accidunt, febris symptomata superveniunt graviora, quorum accessu apthæ tandem aliquot dierum intervallo in conspectum veniunt. Estque notatu dignissimum

B

simum, aphthas scil. in morbis futuras cognosci ex sopore & singultu, illosque, qui toto morbi decursu non dormiverunt, in soporem incidentes aphthis corripri, simulque singultire, si aphthæ sint ex ventriculo, referente *Mich. Etmüllero* Oper Medic. Part. II. p. m. 612. Quales etiam, & quidem posteriores, practicorum alii ex febre incipiente cum diarrhœa vel dysenteria cum nausea, appetitu prostrato, præcordiorum anxietate, stupore & somnolentia prædicere & divinare adsolent.

Thef. VII.

Symptomata aphthas ordinarie comitantia sunt sequentia, scilicet deglutitio impedita, respiratio difficilis, anxietas præcordiorum, appetitus prostratus, in aliis cum nausea conjunctus, quorum omnium ratio in promptu, & cuius partes aphthis affectas probe consideranti plana & obvia est; Etenim quo pharynx & larynx liberius patent, & sine ullo obstaculo res naturales quasvis transmittunt, hoc liberior est deglutitio. Sed vero teste experientia prædictæ partes usque adeo aphthis ultra modum coacervatis interdum sunt obdu-
ctæ,

Etæ, ut oris isthmum videantur claudere & propemodum inpervium reddere, cujus rei exempla Practicis visa & passim annotata prostant plurima. Accedit desuper, totum os internum ipsumque œsophagum intumefactum simul esse, ut muscoli laryngis minus prompte actiones suas obeant, sicque alimenta tam potulenta quam solida ægre, & non nisi cum molestia in ventriculum transmittant. Respirationis facilis requisitum haud minimum est, ut fauces rite sint dispositæ, nec nimis angustæ, quo aer via aperta per asperam arteriam transeat in pulmones, œsophagus quoque sit totus laxus atque mollis, quo aëri intranti nullam ponat obicem. Cum autem in aphthis fauces non tantum, sed & in aliquibus interior asperæ arteriæ superficies obsessa, imo œsophagus tumore insigniter distentus sit, nequit non inde respiratio lædi ac difficilior reddi.

Thef. VIII.

Præcordiorum anxietates, quas aphthis afflictæ patiuntur, ex ventriculo male affecto unice mihi quidem arcessendæ videntur, neque enim oris interni faucium

& oesophagi partes aphthis tantum laborant, sed sæpius hæ magis profunde descendunt ad ventriculum, imo per totum intestinorum canalem disperguntur, adeo ut cum excrementis alvinis numerosissimæ aphtharum escharæ ab aliquibus fuerint excretæ, qualia exempla Clar. D. Præfidi in puerperis graviter & continue febricitantibus aliquoties visa sunt, legiq; desuper merentur apud *Theoph. Bonetum in Med. Septentr. Part. I. Libr. I. Sect. V. cap. 5. p. m. 337.* Hinc ergo si contingat, sinistrum ventriculi orificium, partem quam maxime nerveam, paulo fortius ab aphtharum acrimonia lancinari, necesse est ventriculus diaphragmatis motum vix sine molestia vel doloris sensu ferat & sustineat, sed eundem potius cum motu reciproco thoracis non leviter turbet, atque hoc pacto præcordiales inducat anxietates. Appetitum autem sub aphthis prosterne partim à salivæ itemque liquoris gastrici defectu, vel utriusque plane vitio, partim etiam ab aphtharum in interiori ventriculi superficie reperiendarum præsentia arcessere licet, quibus ex causis latera ventriculi interiora ob interpositam materiam

teriam peregrinam mutuo contactu & affricu in se agere nequeunt, unde appetitus perit. Neque dispar ratio est nausæ nonnullos apthas laborantes simul corripiens, quandoquidem ex allegatis causis prompte sequitur in ipso ventriculo multas cruditates & sordes colligi debere, quæ moleste eundem irritent, sicque ad nausæam disponant.

Thef. IX.

Succincto post hæc causarum apthas producentium scrutinio me nunc accingens has non absone plane in internas, sive proximas, & externas, sive remotas distinguere posse autumo. Et quidem ad illas omni jure referre licet laticis sive lymphæ salivæ corruptiones & depravationes insignes, quarum principium mihi diversum videtur, dum aliæ ex ipso sanguine ejusque statu graviter mutato, aliæ vero, eæque maxime in infantibus, ex corrupto in ventriculo lacte, vel inde alterato simul sanguine, & ex hoc secreto demum liquore salivæ pravo, non temere derivandæ veniunt. Quod ipsum ut rite demonstrarem, asserti mei, & quidem prioris, veritatem ex sequen-

tibus rationibus adstruere operæ pretium
duco. (1) Quod morbi communiter, in
quibus aphthæ observantur, sint febres con-
tinuæ, inflammatoriæ, ardentes, putridæ, vel
plane malignæ, in quibus dum proveni-
unt, neutiquam sub illarum initio, sed po-
tius illo febrium tempore, quo prædictæ
jam ad statum pervenere, erumpunt. (2)
Quod propria & vera aphtharum sedes
per experientiam extrema oscula vasorum
lymphatico - salivalium deprehendantur.
(3) Quod propterea, oris interni, faucium
œsophagi, ventriculi & intestinorum tota
interior superficies unice aphthis infeste-
tur, nec in aliis partibus unquam conspi-
ciantur. (4) Quod aphtharum crustæ, sub-
stantia & colore tenus, salivam inspissatam
& mucosam referant. (5) Quod calidio-
ra quævis vi motus majorisque suæ acti-
vitatæ, in febribus intus adhibita, vel ex-
tus admittæ, plurimum ad aphtharum ge-
nesin conferant, & sic jure in censum &
numerum causarum referri debeant. (6)
Quod in nonnullis febribus aphthæ criti-
cæ, in aliis symptomaticæ, ex sanguinis sinu
& gremio ad partes glandulosas harumq;
ductus excretorios propellantur. (7) Quod
pro

pro sanguinis statu plus vel minus depravato & viscido, febres acutæ aphthas tanto facilius pariant.

Thef. X.

Allatas autem has rationes paulo penitus adhuc excutienti evidens cuivis & plane perspicuum evadit, in febribus continuis & æstuosis ob sanguinis motum per plures dies valde acceleratum, caloremque simul intense auctum, sanguinis particulas vehementius intra vasa agitari, atteri, comminui, atque comminutas per varia corporis spiracula, vel sub forma transpirationis, vel sudorum largissime expelli, quo pacto reliqua sanguinis moles necesse est lentescat & notabiliter inspissetur, humores à sanguine naturaliter fecernendi, vel ob præternaturalem crassitiem plane non fecernantur, vel tandem intensiori motus & caloris gradu secreti multo spissiores & tenaciores per glandularum ductus excretorios vi vitæ maxima expellantur, sicque saliva in his febribus non alia, quam crassa & mucosa, ad coagulum prona sequestretur. Ab hoc ergo spissitudinis & lentoris vitio naturam statum sanguinis reliquorumque fluidorum
fortio-

fortioribus subinde moliminibus vindicare,
 & pro majori vel minori sanguinis lentes-
 centis gradu aphthas, modo ad oris inter-
 ni & faucium, modo ad œsophagi ventri-
 culi internam superficiem, quadam quasi
 metastasi, transferre, neutiquam Practico-
 rum observationibus repugnat, sed potius
 frequentissime experientiæ respondet;
 Etenim si aphthæ diu non durent, brevi de-
 cidant, nec decidentibus novæ statim suc-
 crescant, natura ipsum morbum insigniter
 levat, vel plane solvit, ubi vero profligatis
 primis novæ & copiosiores semper subna-
 scuntur, morbi gravitate natura obruta
 fatiscit, ac tandem cum ægrotantium in-
 teritu plane deficit. Conf. *Nic. Pechlini Obs.
 Medic. Obs. LXXI. p. m. 191. 192.*

Thef. XI.

Neque tamem lentor glutinosus &
 spissitudo laticis salivalis simpliciter pro
 causa aphtharum accipienda est, sed ple-
 rumque viscido mucro intime inhæret, &
 juncta est multiplex acrimonia, ad quam
 jam pridem respexit *Joh. Fernelius* inqui-
 ens *adultis aphthas efficit halitus è jecore &
 ex bilis fervore per œsophagum aut etiam per*

186A

cœca spiracula exurgens, illas etiam interdum gignit pituita falsa profluens e capite, in febribus quidem hæc frequentes, nonnunquam & sine febre graves; quales sæpe mensibus suppressis observantur. Vid. ejusdem Pathol. Libr. V. cap. 8. p. m. 448.; febrim quippe sanguinem reddere acriorem, aperte jam docuit *Joh. Jac. Waldschmidius*, inquit, *aphthæ infantibus non solum familiares sunt, sed & adultis, præsertim febricitantibus, in quibus summa humorum acredo adest, quod in febre hungarica videre licet. Vid. ejusdem Coll. Med. Practicum ad Cas. Med. Timæi à Gùldenkle Libr. V. Cap. IX. p. m. 578.* hincq; falsæ scorbüticæ symptomata aphthas pronunciare non dubitat. *Nic. Pecklinus l. f. c.* Imo à defluxionibus catarrhalibus falsis serosis pituitosis, transpiratione mala & acri in aliis aphthas prodiisse testantur. *Pet. Froreftus. Obs. Med. Libr. XIV. Obs. XXI. p. m. 121.* It. *Dan. Sennertus Pract. Med. Libr. II. part. I. cap. XVII. p. m. 62.* Pro majori ergo acridinis gradu, vel benignas, vel malignas, plus vel minus ulcerosas, aphthas esse, vero quam maxime consentaneum videtur, quandoquidem huic speciali causæ aphtharum ardor dolor & cum his partium aphtharum

farum intumescencia & superficialis exulceratio unice in acceptis ferenda sunt.

Thef. XII.

Veram quoque aptharum sedem, partim in laticis salivalis vitio, partim in extimorum lymphatico-salivalium vasculorum ostiolis, sitam esse, dudum ante me agnoverunt & docuerunt plurimi, quos inter, *causam aptharum potius quærendam esse in saliva, sive lymphæ acescente & humoribus circulantibus Joh. Jac. Waldschmidius l. sup. c. non inepte statuit. Et, ultimorum emissariorum, quibus latex salivæ in os effunditur mucosus, superficiales exulcerationes apthas esse ex obturatione canalæ extremi per humorum viscidum eo delatum exortas Celeb. Herman. Boërhave Tr. de cognosc. & curand. morb. p. m. 983. intrepide asserit. Ex quibus pronissime sequitur. apthas non alia occupare loca, quam in quæ prædicta emissaria hiant, adeoque labia, genas internas. lingvam, palatum, fauces, uvulam, gulam, stomachum & intestina constanter invadere, nec propterea in aliis corporis partibus conspici unquam*

Thef. XIII.

Eandem præterea hypothesin non leviter,

viter comprobare videtur aptharum crusta, inspissata & exarefacta salivæ substantiam satis exacte referens; Proinde sicuti ejus rei quotidianum fere exemplum in narium mucos, ab aëris jugi transitu in siccam & crustosam substantiam condensato, inque iis, qui ore aperto noctu dormiunt, lingua ex lento salivæ mucos exarescere solet, ita conceptu haud erit difficile, acriter & fervide febricitantes, ob æstum & orgasmum sanguinis nimium, patulo semper ore aërem avidè captantes, frequentissime pustulis talibus apthosis fieri obnoxios. Imo quo aëris constitutio magis fervida & calidior fuerit, majorem semper apthosis occasionem subministrare ex quo ipse Hippocrates Aphor. 1. Sect. 3. Aphor. 2. apthas etiam inter morbos æstivos recenset & jam olim in Syria & Ægypto, calidissimis regionibus, ulcera syriaca & ægyptiaca prisca Medici vocarunt, sine dubio, quod, pro febribus longe magis acutis & aëris calore intensiori, ex sanguine ad putredinem magis proclivi, apthas provenerint magis ulcerosæ & malignæ.

Thef. XIV.

A calidis vero remediis, aut regimine

C 2

calidio-

calidiori in acutis febribus inprovide adhibito, sanguinem partim succis suis lymphaticis exhaustum ad lentorem quam maxime redigi, partim naturam ad motus febriles plane enormes concitandos plus justo excitari, cuius statum vehementer febricitantium probe perpendenti evidens erit, veraque juxta ratio patebit, cur febribus his perverse tractatis aphthæ frequentissime superveniant. Criticas quoque vel in aliis symptomaticas prodire aphthas, experientia multiplex confirmat, quales autem criticæ sint, superius Thef. IV. sufficienter à me dictum est. Corpora denique impura pravis & lentis succis scatentia, qualia plerumque scorbuticorum esse solent, febribus correpta aphthis admodum obnoxia esse, author & testis vide dignus est *Joh. Nic. Pechlinus*, disertis verbis referens, *in Belgio aphthas esse morbum popularem, nec facile febrem ullam ardentem absque aphthis solvi.* Vid. ejusdem *Obs. Physic. Med. l. f. c.*

Thef. XV.

Alteram quod spectat, superius Thef. IX. jam allegatam, aphtharum causam, communis fere Medicorum opinio fert, hanc
in

in infantum lacte corrupto, & halituosa
 ejus in ventriculo acescentia fitam esse,
 quam quo paulo speciosius illustrem, ac
 clarius demonstrarem, scire convenit, per
 plurimos recens natorum infantum tribus
 primis vel quatuor a nativitate diebus non
 sufficienter meconio purgari, sed ab hujus
 parte in corpore retenta acidum acorem
 in intestinis contrahere, unde lac corrup-
 pitur, quæ corruptio altius sensim surgens
 primas vias occupat, tandemque ad fauces
 elevata in illa corporum infantilium mol-
 litie & teneritudine aphthas facillime pa-
 rit, quas post sextum aut septimum diem
 erumpentes a lactis speciatim vitio quoque
 provenire & cognosci posse statuit *Mich.
 Ettmillerus Oper. Med. Part. II. p. m. 612.*
 In aliis quinque sex vel plurium mensium,
 acriter & sitienter lactentibus, ansam nota-
 bilem huic lactis acescentiæ subministrant
 varia, v. g. turundæ ex pane saccharato la-
 cte subactæ, vel pane fermentato & cere-
 visia diluto fartæ, ori infantum inditæ, quo
 ex his nocturna suctione partem liquidio-
 rem eliciant, pulmenta omnis generis ad-
 modum dulcia, nutricum saliva plurima
 referta, edulia quævis facile fermentesci-
 bilia

bilia, ut & partes oris interni sordidæ, raro vel nunquam mundatæ & absterfæ. Quo pertinet quoque lac nutricum nimis ferofum, indolis admodum absterfivæ, item lactentium ventriculus intemperatus. Quibuscum egregie consentiunt & veritatem dictorum corroborant observationes multorum, causam aphtharum manifeste acidam, in praxi crebro monstrantes, prouti incautum succi limonum usum aphthas in ventriculo excitasse meminit *Laz. Riverius Prax. Med. Libr. XIV. cap. 2. p. m. 416.* quas in nobili quinquaginta annorum post in usitatum cremoris tartari usum similiter observavit *Joh. Nic. Pechlinus Obs. Physico Med. scit. & à julapiis acido infectis febricitantium sitim augeri, aphthasque generari docuit Steph. Blancardus in Idea Prax. Med. Nov. Art. VIII. p. m. 5.* cui astipulatur *Joh. Dolæus Encyclop. Med. Lib. VI. Cap. VI. p. m. 568.* Ex quibus deducta probe ratione existimo, in junioribus prædominanti & corrupto primarum viarum acido in generatione aphtharum plurimum omnino deferendū esse.

Thef. XVI.

Quod vero huic aphtharum causæ ab acescentia lactis desumptæ alii objicere soleant,

soleant, superius sc. ventriculi orificium arcte semper clausum esse, sicque acres lactis corrupti fuligines ad fauces usque assurgere, easque arrodere vix posse. Ad hæc prompte regero, cum lactis corruptione in recens natis conjunctam esse insignem flatulentiam, qua ventriculus halibus mordacibus distentus, ac in superiori orificio stimulatus in se contrahitur sæpius, per oesophagum sursum versus flatus eructans acres, a quibus molliores faucium partes, ac maxime glandularum miliarium ductus excretorii in extremis ostiolis arroduntur, ac lymphæ masticationi, deglutationi & ciborum digestioni alias inserviens, naturaliter limpida & tenuissima, ab acido corrupto gravissime alteratur.

Thef. XVII.

Post internas sive proximas ad externas sive remotas aphtharum causas tandem progrediens has ita comperatas comperio, ut aliæ succos lymphaticos incrassent & condensent, aliæ partes oris & faucium internas vehementi & fervida acredine, causticorum instar, adurant, sicque brevi temporis intervallo vesiculas excitent. Prioris generis sunt aër justo calidior,
transpi-

transpirationem & sudorem ultra modum
 ciens, ac fluida mirum quantum dissipans,
 cujus supra Th. XIII. mentio ex Hippocrate
 jam facta est, vel aër calidior simulque hu-
 midior, ad putredinem succos corporis hu-
 mani facile disponens, cujusque causa aph-
 thas epidemicas subinde fieri practitorum
 testantur plurimi; vel denique aër justo
 frigidior, pari efficacia cum aëre calido, li-
 cet modo plane diverso, fluida inspissans,
 ac vel sola cohibita transpiratione, experi-
 entia teste, varia ulcerosa incommoda in
 ambitu corporis producens, inque febrici-
 tantibus, faucium ardorem aqua nimis algi-
 da restinēturis, solo frigore non raro aph-
 thas gignens. Quo referas etiam aërem ma-
 rinum & paludosum, solidarum partium to-
 num plus justo relaxantem, quævis alimen-
 ta crassi & crudi succi, fumo & sale indurata,
 pisces sale muriatico conditos, in aëre li-
 bero vel fumo exsiccatos & plura alia ex
 diata cruda sanguinem pravum generan-
 tia. Tandem huc præ cæteris pertinent fe-
 bres acutæ, ardentes & continuæ, æstu fer-
 vido & diuturno fluidiorem sanguinis par-
 tem depascentes, & serum cum succis
 lymphaticis maxime depravantes, san-
 guine

sanguine per se ex prava constitutione ad lentorem inclinante. Ad externas autem posteriores spectant quævis acria salina v. g. falsa muriatica, acida, omnis generis acria, quævis intense alcalisata, caustica, ex vegetabilium classe, cepæ, raphanus, allium, folia ari aromatum acriora sc. zingiber, capsicum &c. ex alimentis dulcia mellita, per fermentationem facile corruptibilia & acriora facta, caseus vetus, ex insectis cantharides, vermes majales, & ex pharmacia mercurialia varia non rite præparata. Prouti a mercurio diaphoretico non rite præparato, tempore somni in bolo sumpto, aphthas notat *Hadr. Schlervogtius* in *Diff. de aphthis* art. 35. p. m. 25. Imo artificiales aphthas a mallicato per errorem tempore nocturno emplastro vesicatorio loco foliorum tabaci allegatas videas in *Ephem. Nat. C. Dec. II. A. VIII. Obs. 79. p. m. 193.* Quas tamen artificiales aphthas, meo quidem iudicio, a veris aphthis discrepare plurimum, & inproprie valde aphthas vocari, unicuique rem paulo altius perpendenti perspicuum erit,

Thef. XVIII.

Signa diagnostica ex superiori aphtharum descriptione per se satis manifesta sunt, maxime vero ex sedula, & in quibusvis febribus acutis summe necessaria, oris inspectione, cuius medenti sensu visus clarissime innotescunt, ut opus vix esse censeam illa longa ferie denuo repetere. Id unicum tantum notare convenit, diagnosin frustra pro aphtharum causa diversa formari ex vario aphtharum colore, quem & quidem rubicundiorum alii ex sanguine, flavio-

D

rem

rem ex bile, album sine fervore febrili ex pituita, lividum & nigrum in aphthis inveteratis, ex atræ bilis malignitate deducunt; tantum enim abest, ut colorum illa varietas ab humorum gratis a veteribus adsumpto quaternione sit, ut potius majori vel minori caloris & ardoris febrilis gradui, ac diversæ acridinis speciei, viscido intime junctæ, unice in acceptis ferenda veniat.

Thef. XIX.

Prognosin quod spectat, variat illa pro multiplici aphtharum differentia. Aphthæ symptomaticæ febribus continuis & acutis succedentes, raro periculo vacant, maxime si sint copiosæ, graviora semper symptomata secum ferentes. Minus autem periculosæ sunt criticæ, albicantes, leves, libere efflorescentes, item quæ molliores & fungosæ, brevi & facile solo lactis affluxu secedunt, nec subito recrescunt, quæ hinc inde per internas oris partes saltim dispersæ quasi conspiciuntur, febrimque levant, vel sine febre disparent. Quæ autem diu durant, vel post primas secedentes copiosæ statim renascuntur, & quidem acres, ardentes, quæ per œsophagum profundius ad ventriculum serpunt, vel ex ventriculo altius ad fauces prorepunt, vel plane fistulam intestinalem occupant & quidem adeo, ut in aliis sub forma crustularum cum alvinis excrementis prodeant, omnes hæ febrium acutarum pessimi ominis & mortis prodromi sunt. Sinistræ quoque notæ omnes intensius flavescentes & rubicundæ, quia causticæ indolis, sunt. Malignæ autem & admodum putredi-

putredinosæ, firmiter adhærentes, fusæ, livida vel plane nigra, à plerisque Medicorum habentur, quandoquidem ob gravem virium defectum ægri ferendis symptomatibus impares, atque hinc tales in malignis febribus lethales sunt. Nec minus exitiosæ observantur, quæ variolis interdum superveniunt, & quidem circa morbi declinationem, denotantes negotium variolarum nec rite, nec prospere satis successisse, unde tales in epidemice tempore hoc vernali grassantibus variolis funestas etiam vidit plus una vice Cl. D. Præses. Postremo communi fere Medicorum consensu lethales habentur, quæ aliis morbis acutis epidemicis, maxime dysentericæ, febris acuta stipatæ, junguntur ac ventriculum cum intestinis obfidet, quales nihilominus infracto naturæ robore Matronam Nobilem dysentericam ante plures annos sustinuisse, & feliciter superasse probe itidem notavit Cl. D. Præses.

Thef. XX.

In curatione aphtharum ante omnia attendendum, utrum aphthæ vel symptomatice, vel critica, atque tales, in quibus præcise febribus, an vero idiopathice & sine febre sint? quales ordinarie latentium observantur. In symptomatice ergo cum febre acuta exortis, missis remediis, quæ febre debentur, deque quibus agendi hic locus non est, medentis erit duplicem hanc indicationem probe respicere (1) ut crustas aphtharum emolliat, acridinem temperet, corrigat, ac loca aphtharum blande abstergat, (2) ut successive glandularum lymphaticorum

tico-salivalium ductus muco-lento obsessos evacuet, sanguinemque diluendo spissitudinem ejus emendet. Emollitio aphtharum benignarum absolvitur meris humectantibus, aquosis, qualia sunt decocta flor. chamomillæ, sambuci, Herb. meliloti, altheæ rad. liquirit. ficuum, hordei, rasuræ C. C. & similia, cum aqua pluviali vel fluviali parata, quibus leviter melle rosato dulcificatis oris partes internæ, vel foliis salviæ, vel penicillo, vel spongia sambuci crebrius humectentur, aut si fieri possit, os colluatur blande, aut tepidiuscule lacte dulci calenti aphthæ abstergantur, vel ol. raparum recenti cum saccharo cando triturato sæpius tangantur. Ubi vero acredine & ardore insigni conjunctæ aphthæ obveniunt, prædictis decoctis tantillum nitri depurati, addatur, cum syrupi violarum quantitate modica, ne levis nitri fædore partes superficialiter arrosas moleste irriter, hisque aphthæ per intervalla sæpius blande emolliantur; aut nitrum in aqua calcis vivæ solutum ac syrupo violarum, vel dialtheæ levi dulcedine temperatum, aut flore lactis recenti admixtum blandissime crustis aphtharum applicetur. Vel etiam decocto raparum simplici vel vitello ovorum mixto, vel succo raparum nonnihil leni calore inspissato abluantur. Quibus si acredo non mitigetur, conducunt infusa vel decocta calida herb. salviæ, veronicæ, hæderæ terrestris, agrimonix, plantaginis, syrupo diamori, vel melle rosato ad levem dulcedinem mixta, vel prædictarum herbarum aquæ destillatæ cum aqua calcis vivæ mixtæ, vel succi expressi sempervivi, plantaginis syrupo dialtheæ

dialtheæ, dianicum temperati, aut quælibet aqua, in qua ferrum ignitum fuit extinctum. In aphthis admodum fordidis ac putredinosis, quales lividæ vel sub nigræ plerumque esse solent, mundificantiæ & putredini resistentia longe efficaciora requiruntur, qualia sunt mel rosatum aquis prunellæ, plantaginis, salviæ parce dilutum, ac spir. falis, sulph. vel vitrioli acidulatum, quibus alii acriora etiam substituant v. g. alumen ustum, vel lapidem medicamentosum Crollii, vel ung. Felic. Wurtz. vel ungu. ægyptiacum, horumq; unum vel alterum aqua calcis vivæ pro Medentis arbitrio solutum, ac tepidiuscule aliquoties admotum. Ast bene notandum, horum usui diu insistendum non esse, quoniam ablata putredine, subjectis partibus aphthis obsessis ingens inferunt detrimentum, teste Joh. Dolæo Encycloped. Medica lib. VI. cap. VII. p. m. 568. Nec minus provide cavendum, ne quicquam horum ægri deglutiant, quandoquidem hæc ventriculum graviter & ad vomitum, usque offendunt, unde talia in infantibus & junioribus nunquam sunt usurpanda.

Thef. XXI.

Non me latet, a Medicorum nonnullis contra aphthas febrium acutarum, easq; instantes & difficulter prodeuntes, usum Venæ sectionis commendari, de qua adhuc inter Medicos quæstio est, utrum in hoc casu expediat, illam administrare, nec ne? Ad quam e vestigio respondeo, & quidem affirmative, sc. si æger plethoricus & robustus, febris ardens & Medicus aphtharum instantium jam certior factus sit; etenim sicut in subjectis plethoricis variolarum

eruptio ab adhibita Venæ sectione feliciter promotâ legitur, ita similiter prostant exempla aphtharum, mediocri Venæ sectione ad faciliorem exitum perductarum, quales tanquam criticæ non nisi blande emollientibus & temperatissimis abstergentibus thesi priori recensitis tractentur, reliquumque criseos negotium diaphoreticis fixis v. g. antimonio diaphor. Bezoard. miner, lapide Bezoard. Ori., Ocul., & ppt. pulv. Bezoard. Sennerti alb., aliisque debite promoveatur.

Thef. XXII.


Secundæ indicationi satisfaciunt omnis generis diluentia & temperate attenuantia, qualia sunt apozemata rad. bardanæ, scorzonæræ, cichorii, liquiritiæ, rasur. C. C. hordei mundati cum aqua facta, quibus ægri calide potus ordinarii loco utantur, & quidem singulis haustibus unciarum aliquot quantitate modica nitri crySTALLISATI & syrûpi violarum adjecta, aut horum loco ægrotantibus subinde offerantur emulsiones tenues ad aliquot uncias, ex hordeo mundato ad crepat: cocto, ex feminibus cucumer. melonum, amygdalarum dulcium cum decocto C. C. vel hordei factæ, circa vesperam simul adhibitis pulveribus blande diaphnoicis, priori thesi commendatis. Quæ autem contra aphthas contumacissimas a Laz. Riverio, passimq; ab aliis, tantopere laudantur, opiata, mihi videntur valde suspecta, & minus tuta remedia, nec alii aphtharum speciei convenientia, quam quæ a defluxionibus acribus, falsis, tenuibus productæ sunt
quas

quas demulcent, incrassant, sicque acrimoniam intensam corrigunt, quare talia, tanquam febribus, acutis aduersa, nullum hic inveniunt locum.

Thef. XXIII.

Aphthas idiopathicas, quales plerumque latentium ex lactis corrupti acore oriundæ sunt, feliciter tollunt & curant mera testacea, absorbentia, ac acidum destruentia, ut cryst. mont. mat. perl. ppt. lapid. & chelæ ☉ ppt, unicornu fossil. C. C. philosoph. pptum, ust. margaritæ ppt., Corall. rubr. ppt. & similia, sub forma puluerum infantibus cum lacte pro dosi gr. xii, bis vel ter de die, exhibenda. Quibuscum si os sæpius lacte materno recenti vel aqua veronicæ, momento mellis rosati dulcificata, tepidiuscule eluatur, mundetur, aphtharum loca blande abstergantur, tandemque clymatibus mere emollientibus succi acefcentes per alvum crebrius subducantur, facile quicquid corruptorum humorum in intestinis superioribus adhuc hæserit, sensim per absorbentia correctum, syrupo cichorii cum rhabarbaro, ad 3j. vel alteram dato, penitus e corpore expurgatur, tota aphtharum curatione hoc pacto feliciter ad finem perducta.

FINIS.



00 A 6272

f


ULB Halle 3
002 827 158



TA-0L

Reho ✓







2. D. B. V.
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE
APHTHIS,

QUAM
AUXILIANTE DEO T. O. MAXIMO
ET
GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ
IN REGIA VIADRINA CONSENSU
SUB PRÆSIDIO
DN. JOH. GEORG. à BERGEN,

MEDICINÆ DOCTORIS ET PROFESSORIS
PUBL. ORDIN.
PRO GRADU DOCTORATUS,
SUMMOS IN MEDICINA HONORES INSIGNIA
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE
IMPETRANDI,

AD DIEM XI. JUL. A. M DCC XXXIII.
IN AUDITORIO MAJORI
publice ventilandam proponit
AUCTOR & RESPONDENS
DAVID LEBRECHT HORST,
Bernburgo-Anhaltinus.

FRANCOFURTI ad VIADRUM,
Literis TOBIÆ SCHWARTZII, Acad. Reg. Typ.

